

## † Fr. Petrus Koluras (1881-1949)

(Prov. S. Pauli)



Qui considerat vicissitudines vitae huius Fratris laici, novam probationem verbi Divini Redemptoris inveniet: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Mirabilia sunt Dei consilia, quae conduxerunt nautam, olim coniugatum, e regione orientali Graeciae ad pedes excelsae Patronae Brasiliae ut filium S.P.N. Alfonsi. Petrus Koluras, natus Gallopoli in Graecia die Immaculatae Conceptionis anni 1881, baptizatus est in ritu schismatis photiani. Pater eius, officio nauta, in mari submersus diem supremum obiit. Mater Zoe conversionem filii ad fidem catholicam anno 1887, post mortem patris, aegerrime tulit. Iuvenis Koluras vi ad ecclesiam schismaticam compulsus, a sacerdote increpatus et, cum persisteret in professione fidei romanae, excommunicatus et e templo eiectus est. Aliqui schismatici fanatici neophyllum, aliquando in litore maris ambulantem, aggressi sunt, ut eum in pelago submergerent. Petrus firmiter resistens et sanctos coeli invocans, aliquam arborem amplexus est. Milites currentes iuvenem a morte liberant. Civitati natali egressus, Tergesti (*Trieste*) munus custodis nocturni exercuit et anno 1908 sacramento matrimonii se iunxit cum Euphrasia Illich, officio sartrice. Petrus Koluras per vitam totam praedilectionem pro arte culinaria manifestavit. Se emancipavit ut coquus ducis militaris Papoulas et postea Constantinopoli religiosorum ab Assumptione. Mortua coniuge anno 1918, exemplum patris est secutus ut coquus in navibus mercatoriis. Anno 1924 appulit in Brasiliam et per spatium 18 mensium laboravit in insula Paquetá in portu Rio de Janeiro. Inde profectus est in civitatem Belo Horizonte.

Pertäesus vitae periculosa in saeculo, in Collegio Redemptoristarum admissionem petiit. Non habentes novitiatum pro Fratribus, illi Patres ei suaserunt, ut Aparacidae renovaret suam petitionem. Libenter ibi Petrus ad experimentum admissus est propter optimam voluntatem patefactam. Necesse erat obtinere documenta ecclesiastica de vita anteriore postulantis, licentiam Sanctae Sedis ad amplectendum ritum latinum et ad ingressum in vitam religiosam. Omnibus per Nuncium obtentis, Petrus Koluras habitum alfonsianum recepit anno 1929 et die 15 Iulii anni 1931 per professionem Deo et Congregationi gaudens se consecravit. Usque ad tertium diem ante mortem Fr. Petrus diversis in domibus nostris munere coqui optime functus est. Caritate fraterna motus, magna cum industria laborabat, ut bene in sua arte culinaris serviret confratribus. Amabat animas, diu nocturne innumera Rosaria pro felici exitu operum apostolicorum recitabat.

Vita agitata inventutis et labores continuati culinae salutem Fratris labefactarant. Per longos annos de doloribus capitis et magna pressione arteriali conquestus est, sed imperterrita animo officio suo functus est.

Temperamento melancholico et nervoso praeditus, frequenter Superiores et confessores adiit ad consolandam animam. Magno amore paupertatis permotus, voluit expensa diminuere. Saepe conservabat fercula praeparata et carnes per dies in camera frigorifera. Fr. Petrus magnanimus erat ad bene serviendum confratribus qualibet hora diei vel noctis advenientibus vel discedentibus. Amore erga Virginem Mariam semper excelluit et affirmavit Matrem Caelestem sibi mandasse, ne umquam omitteret etiam inter labores illi flores mysticos sancti Rosarii offerre.

In ultima infirmitate noluit in sanatorium se conferre, ignorans gravitatem status.

Paucis momentis ante mortem sacramentis ultimis munitus est.

Fr. Petrus, vera caritate fraterna et apostolica et eximia pietate adornatus, die 26 Iulii anni 1949 diem supremum oblit in domo nostra Araquara, Provinciae Sancti Pauli. R.I.P.